



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Quid si Sacramentum evomi contingat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Cap. VIII. De Defectibus occurrentibus 151

Quid si Sacramentum eorum contingat.

4. Si Sacerdos evoimat Eucharistiam, Species autem integrè appareant, reverenter assumantur, nisi nausea fiat, secus separentur, & in loco Saero reponantur, donec siccantur, seu corrumpantur; tunc enim comburenda sunt, & cineris in Sacratium projiciendi. Sic in Rubric. Miss. de defect. occur. n. 14. Si species non appareant, & corruptæ jam judicentur, totus vomitus si, nulliter comburatur, cinerisque in Sacratium immittantur. Ex quo apparet non esse audiendos Paludanum apud Gerant. in Rubr. Miss. part. 3. tit. 10. n. 6. & Sylvestrum apud eundem, ibid. putantes esse Sacrilegium Species comburi: solum enim id verum habet, si sub illis est Christus Dominus, non vero iis exsiccatis, quando Dominus ibi esse desinit.

5. Adverte tamen tunc solum esse licitum ejusmodi vomitum provocare, quando cognoscit Sacerdos, quod Species à se sumptæ veneno, seu simili tabe fuerint infectæ: de qua tota re diximus in Opusculo de Expediendis Communionibus, cap. 3. §. 4.

Quando Hostia est confracta, & quantum ejusdem particula remanet in fundo Calicis.

6. Si Hostia appareat fracta ante consecrationem post oblationem (idem dic de quacunque simili macula accidentali) non est inconveniens eam consecrare, nisi forte populo scandalum sit: tunc enim alia accipienda esset, & oblatione mente concepta, offerenda: de illa autem quæ fuit oblata, fiat illud, quod diximus supra cap. 7. §. 5. num. 3. Si appareat fracta ante oblationem, accipiat altera integra, si citra scandalum, vel longam moram fieri poterit, secus, eadem sine scrupulo utaris.

7. Si assumendo sanguinem, particula remanserit in Calice, digito eam ad labium Calicis adducito, & sumito, vel quod decentius est, vinum infundito, & sume: imò si sit necesse bis, ter, vel amplius vinum infundere, & sumere; id facere poteris sine timore fractionis jejuniis naturalis, ut dictum est in Opusculo de exp. Com. cap. 2. §. 3. num. 38.

Quando Sanguis, vel vinum congelatur.

8. Dispositio Rubrica, quod si Sanguis hieme congelatur in Calice, involvatur Calix panis calefactis, si id non proficiat, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dommodo in Calicem aqua non intret, donec liqueat.

9. Sed quid fieri si Sanguis congelatus etiam adhibito igne liquefieri nequeat? vel quid, si ne ignis quidem haberi possit, vel quæ dispositio Rubrica, cum notabili offensione populi, fieri deberent?

Sunt de Sacram. disp. 8. §. 1. §. Tertio accidere, rectè simili in casu monet, ut digito reverenter comminuat: nam sic in particulas redactus assumi poterit: Si pars Sanguinis valide congelata, pars verò liquefacta sit, sufficit hanc liquefactam partem assumere, illam verò, ut potest deglutiri.

10. De congelato vino aliqua sunt declaranda. Primo, si vinum congeletur, licebitne illud consecrare? Dico nequaquam (saltem ex congruentia) licere, quia est contra consuetudinem. An sit peccatum dicam, mox num. 14. Adde nonnullos dubitare, ut mox dicemus, an vinum sic affectum sit apta consecrationis materia. Apponatur igitur aliud, cum non expediat illud vitæ solvere, & consecrare, quia aliqui putant per consecrationem vinum substantialiter fuisse corruptum, id quod licet falsum ex meliorum sententia sit, ut mox videbimus, tamen ob reverentiam Sacramenti, si aliud vinum commodè potest haberi, non est cur hoc illi non offeratur.

11. Secundò, Si dum actu congelatum existit, con-

secraretur, validè consecraretur, quod est quætere an num actu congelatum sit materia consecrationis?

Validè consecrari, meritò docent Vasquez, Suarez, Coninch. Laym. alique apud Hurtadum de Euch. disp. 2. diff. 9. Invalidè tenent Henriquez, Ledesma, Alanus, apud citatum Hurtad. & alij. Ratio horum est, quia putant vinum per congelationem, semper vel ferè semper, substantialiter corrumpi. Ratio illorum est, quia falsum est per congelationem ordinariam substantialiter corrumpi vinum, sicut non corrumpitur aqua, alique humores. Cujus rei clarum signum est, quod deinde liquefactum adhuc, quamvis aliquantulum remissè, eandem habet qualitates, quæ prius, saporem, virtutem, imò, & frequentissimè, colorem.

12. Obijciunt primò, vinum congelatum non est actu potabile. Secundò, aqua congelata non est apta materia Baptismi: ergo nec vinum congelatum est apta materia Eucharistia. Tertio, n. 14. quia non est proxime potabilis, non est materia consecrationis: at vinum congelatum non est proxime potabile, ergo, &c.

Respondemus ad primum. Satis est si vinum congelatum, sit ex natura sua potabile. Ad secundum, Aqua congelata non potest facere lotionem, quæ est proxima Baptismi materia, &c. Ad tertium, uva non est vinum, idcirco nec materia. Vide fœsus apud citatos.

13. Tertio. Si vinum congeletur ante consecrationem, nec aliud liquefactum haberi commodè potest, relinquendæ est Missa? Dico si processum solum fuit usque ad Canonem exclusivè satis esse relinquere, imò, si opus sit, populo de defectu, ad ejus offensionem advertendam: at si inceptus fuit Canon, progrediendum porro est, quia Canone incepto, censetur inceptum substantialiter Sacram, unde cum probabilissima sit opinio tale vinum esse aptam materiam consecrationis, non apparet ratio, cur Sacrificium relinquendum sit imperfectum, at verò ante Canonem, cum sit incepta substantia Sacrificij, consultius erit Sacrificium ommittere, quam inconfecta illa materia uti. Vide tamen, quæ mox dicam num. 15. De vino illo congelato si oblatus fuerit, fiat illud, quod supra diximus in simili cap. 7. §. 5. num. 3.

14. At quo peccato delinqueret, qui sine prædicta necessitate, sed tamen sine contemptu vinum congelatum consecraret? Coninch de Euch. quest. 74. art. 5. n. 127. docet peccare mortaliter, his verbis, Graviter tamen peccaret, qui vinum congelatum consecraret, ut omnes fateantur. Sed profectò non omnes fateantur. Satisque sit, ad destruendam hanc universalem; quod non fateatur Vasquez de Sacram. disp. 175. cap. 2. n. 18. Is allatus approbatè ab Hurtado de Euch. disp. 2. diff. 9. sine, docet non esse peccatum in vino congelato consecrare, quamvis sit contra consuetudinem Ecclesiæ. Et ratio est (inquit Hurtadus) quia nec est contra prohibitionem aliquam latam, nec contra consuetudinem, quæ servetur ut necessaria, & obligans.

15. Atque ex hac fortasse sententia motus Layman. de Eucharist. lib. 5. tract. 4. cap. 2. num. 6. docuit si vinum post oblationem advertatur modicè congelatum, ut facile resolv. possit, nullaque appareat accidentium mutatio, consultius fore, si illud consecraretur, quam si mutetur: id quod ampliat quod modo diximus n. 13. quia communiter in tam parva mora non solet in Calice tam fortiter & pressè vinum congelari, ut in materiam ineptam abire possit.

Quid fiet, si Sacrificium desit Hostia grandior, suppetant tamen Particula.

16. Rusticabar enim cum collega meo P. Stephano Turtureti, in nostro prædio Messanen. ad lectiones Theologicas in vacationibus Autumnalibus, de more, peritiorum prævidendas. Semel ergo cum dictus P. ad Missam faciendam, omnium Sacerdotum ibidem commorantium, postremus accederet, Hostiamque grandior